



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Velvti Totidem Ramos
Distributa

Illsung, Jakob

Dilingæ, 1693

Meditatio CCCXL. Continuatio ejusdem Argumenti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

MEDITATIO CCCXL.

Continuatio ejusdem Argumenti.

PUNCTUM I. *IESVS* autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terra. Joan. 8. v. 6. Quemadmodum Christus se tentantibus Judæis non respondit, sed inclinato corpore scribens illos divertit; sic cum tentatione impugnaris, animum inclina, teque ipsum coram DEO humilia, & scriptione, vel lectione, aut aliqua utili actione te occupa, ut tentatio cesset, nec per otium aditus maneat apertus. Specialiter verò tentationem sinistri de aliorum hominum vitâ judicii, aut contemptûs, vince priorum defectuum & peccatorum consideratione; quemadmodum Christus digito formans litteras in terra, miraculosè produxit in oculis singulorum Pharisæorum & Scribarum visionem, quâ quisque sua peccata legebat. Roga Christum, ut etiam in terra Cordis tui, & in Conscientia tua tibi peccata tua describat, & dic cum Job. c. 13. v. 23. *Quantas habeo iniquitates, & peccata; scelera mea, & delicta mea ostende mihi.*

PUNCT. II. *Cum ergo perseverarent, interrogantes eum, erexit se, & dixit eis: Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat.* Ecce, quàm tardè Christus & quàm cautè interrogantibus in causa alieni criminis responderit; hîc enim locum habet illud Eccl. 3. v. 11. *Si bis interrogatus fueris, habeat caput responsum tuum.* Verùm quàm liberè tu loqueris, & sententiam fers de Proximi defectibus? Corrige hanc tuam in judicandis alijs licentiam; Et cum nec tu sine pecca-

to fis , ne audeas lapidis loco aspera in Proximum tuum verba jactare , aut durè eum habere. Nam hunc saltem Misericordiæ fructum vult DEVS , ut ex peccatis nostris reportemus ; Misericordes enim Misericordiam consequentur.

PUNCT. III. *Et iterum se inclinans , scribebat in terra. Audientes autem (id est , per scripturam loquenti , & cuius sua occulta peccata detegenti , aurem mentis præbentes) unus post unum exhibant , incipientes à Senioribus , & remansit solus IESVS (ex illis personis spectantibus ad hoc iudicium ; nam extra has mansit etiam reliquus populus) & mulier in medio (populi mantis) stans. Confusi enim Pharisei & Scribæ timebant , ne à Christo publicè proderentur , ac nominarentur , & peccatorum , quæ quisque legebat , palàm rei proclamarentur. Cogita , quanta sit futura confusio & pudor , quando in extremo die Iudicij omnia nostra occulta peccata in omnium Intellectibus scripta manifestabuntur , & quando non poterimus declinare infamiam. Itaque Christo scribendi materiam nullam præbeas ; nam , ut DEVM alloquens Jeremias c. 17. v. 13. inquit : Omnes , qui te derelinquunt , confundentur ; recedentes à te in terra scribentur , quoniam dereliquerunt venam aquarum viventium Dominum.*

MEDITATIO CCCXLI.

*Christus se asserit Lucem Mundi ,
& Filium DEI. Joan. 8.*

PUNCTUM I. *Iterum ergo locutus est ei IESVS dicens :*
S 4 Ego